

05

A

1423





I. N. 7.
DE

E O D E M

AC

DIVERSO,

Disputatio Prima,

Quam
PRÆSIDE
VIRO CL.

M. JACOBO

Wachtlern

Ser. Elect. Sax. Alumn.

Disputabit
A. & R.

JOHANNES CRAMERUS,

Magdeburg.

Ad D. August.

Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Typis JOH. BORCKARDI, A.M. DC. LXIV.



E O D D E M

D I V E R S O



M. JACOB O

50 A 1423

JOHANNES CRAMERUS

Magdeburg

1711

WITTEBERG

Typis JOH. BORCKARDI, A.M.D.C.LXIV.



I. N. 7.
PROOEMIUM.

Versari Philosophiam transcendentalem suo modo circa quæ-
cunq; in universum, ideoq; universalissimam præstantissi-
mamq; disciplinarum omnium esse, haud obscure *Aristot. l. i. Metaph. c. 2.* significat, inquit: *Μεταφυσική οἷδε πῶς πάντα.*
Materialiter enim seu quoad ipsam rem pertingit ad omne Ens, & in
particularibus ipsis *idealis* Objecti *Metaphysici status* radices agit:
tamen *formaliter* non contempletur Ens quodvis in ratione sua
completa, seu prout tale vel tale. Tantum proinde abest, ut ex-
plodendam hanc disciplinam cum *Gvilielmo Amesio* indoctè statua-
mus; aut etiam Civili post ponendam doctrinæ cum recentiori Au-
tore, *Job. Friderico Hornio*, in *Proem. Pol. p. 45.* præposterè putemus;
aut prorsus non necessariam *Legum studio* cum rudi vulgo existi-
memus; ut eam potius cum *Aristotele ἀρχινοτάτην καὶ ἀρχιτεκτονι-
κωτάτην*, *Legumq; Cultori* perutilem ac maximoperè necessariam
esse intrepidè profiteamur. Jurisprudentiam n. si contemplerur
docentem, nec disci rectè, nec explicari fundamentaliter *tum* quoad
præcepta, *tum* quoad Controversias potest, sine accuratâ *principio-
rum terminorumq; Metaphysicorum* notitiâ: quos qui addiscere ulu cu-
pit, egenam certè ac jejunam atq; infirmam seramq; sapientiam la-
boriosè nimis indagat. e. g. deficiente consensu, deficit matrimo-
nium *c. i. X. de spons. inter infantes prohib.* Amilsâ civitate, pa-
tria quoq; potestas amittitur, *S. i. Inst. Quibus mod. Jus Patr. Potest.*
Jolv. Ubi hæredis nulla institutio, ibi nullum testamentum *L. i. §. 3.*
ff. de Vulg. & pupull. substit. Pactum de dote cessat, si matrimonium
cessat, *l. i. C. de condiēt. ob caus.* Canon enim est: *cessante*
causâ, cessat effectus. Quò canone nullus est alius, qui plus habeat
utilitatis in negotiis forensibus judicandis, si *Tiraquello* credimus.
Sed tamen potius valet de *causa finali*, quàm *impulsivâ*; Excipitur
etiam *caussa contingens*, seu *non necessaria & occasio*, *Eberhard. in Top. c.*
10. n. 5. Tiraqv. limit. 6. Similiter Canon est: *Causse potentia sumi solet*
ab effectus efficacia. Nam; *exitus acta probat.* Hinc, si vulneratus
mox decedat, absq; intervallô longiore, præsumitur ex vulnere de-
cessisse *l. 16. §. 8. ff. de pen.* Excipiuntur autem *causse remota*, *l. 15. §. 1.*
ff. Ad l. Aquil. Disceptatur acriter, *sic ne scriptura de formâ legis?* Aff.

*multi; negant multi. Val. Gvil. Forst. p. 1. tractat. disp. 1. q. 34. distingvit in-
 ter formam essentia & existentia, vel, ut communiter loquuntur, inter-
 nam & externam. Sic enim & Testamenti formam internam tribuunt hæ-
 redis institutioni; externam, testium & similibus solennitatum usur-
 pationi. Ac patet inde, quid sentiendum de illò: non servata formâ,
 corrumpit actio. Excipiendam scilicet, in testamentis quoq; , præter
 casum necessitatis ac periculi, formam externam & accidentalem es-
 se, ratione invadente Paris. Vol. 2. cons. 32. & vol. 1. cons. 47.
 Hæc & infinita plura alia quis rectè intelliget aut explicabit, ni-
 si notitiâ nostræ disciplinæ ante imbutus fuerit? Benè cum di-
 stingvitur, benè docetur, & benè discitur: quomodo longa di-
 stinctionum laudatio in Phædro Platonis est, ubi tandem Socrates; se
 nactus fuerit ducem, qui rectè partiri sciat, se ipsius tanquam Dei vesti-
 gia secuturum esse, testatur. In disputationibus vix ullus est Syllo-
 gismus, qui, si affirmativus, sit, ex terminorum Identitate; si nega-
 tivus, ex eorundem diversitate, originem suam non trahat. Accu-
 ratissimè ergo distingvere valebit, quisquis Identitatem, diversita-
 temq; rerum prius ex Metaphysica Schola didicerit. Utentem si vi-
 deas, dicendum haud rarò, quæ facta, quæ leges ac circumstantiæ
 in hoc vel isto consentiant casu, quæ disconvenient, & quantâ distent
 diversitate? hic Sapientiâ, hic subtilitate instructa mens accuratius
 multò rem solvet, quam qui illotis, quod ajunt, manibus tumul-
 tuantur. Ut taceam, ignoratâ Metaphysicâ, cognosci perfectè Phi-
 losophiam practicam nequaquam posse: at ubi Ethicus, ubi Politicus
 definit, hic, vera veterum opinione, incipit Ictus. Prudentia i-
 taq; sine sapientia, sine sole Luna est. Nos exercitii gratia, aut e-
 tiam propter adductas causas, doctrinam de EODEM & DIVERSO
 paululum excutiemus. Fac, DEUS, feliciter!*

THESES I.

Idem vel Diversum, disjuncta & mediata Entis affe-
ctio est.

1. Negotium nostrum ut justo tractemus ordine, primum gene-
 ralis Complexi totius consideratio est instituenda, ut specialis par-
 tium Scopica deinde tantò facilius absolvatur. Tria de illo genera-
 liter probanda obveniunt: Idem & Diversum esse Entis (1) Affectionem
 (2) disjunctam (3) mediatam. De singulis ordine. 1. Quod sit Affe-
ctio

Actio Entis, probatur *partim* ex *affectionum transcendentalium descriptione*; non equidem illa *Maccoviana*, secundum quam *Affectio* seu *modus* Entis est, *qui ad modum accidentis concipitur, accidens tamen non est*, *Metaph.c.4.p.9.* Hæc utiq; falsa: extrinsecum enim concipiendi modum & in signo rationis quid accidat, in adæquatè describit; neutiquam verò est $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma \tau\acute{\alpha} \gamma\iota \acute{\epsilon}\sigma\iota\nu$, ut vult *Arist.l.z.post.anal.c.10.* Nobis Entis affectio ita describitur, quod sit *attributum Entis, quod inest Enti per se, & convertibiliter predicatur*: quomodo ferè *D. Scharff. theor.transc.p.263.* vel, *quod sit conceptus generalissimus, Ens transcendentaliter denominans*, juxta *Dn.D.Calov.Scr.Phil.p.1.p.264.* Quæ descriptiones, *tum illa planior, tum hæc contractior*, utraq; vera & alibi confirmata, nostræ, quam dicimus, affectioni exactè conveniunt. Illa enim *Ens, omniaq; Entis inferiora verè, positivè ac per se, ut paronymum, non predicamentale; sed transcendentalè, denominat, omnesq; Entis gradus ac classes, ceu generalissimus quidam conceptus, pervagatur.* *Partim ex requisitorum recensione, quorum* (α) *Realitas* est, quatenus affectio esse debet res aliqua, & in natura radicata. Quod enim nihil est, affectio Entis esse non potest. *Identitas* atq; *Diversitas* non minus ac ipsa *Unitas*, ex quâ resultat, omninò reale aliquid est, cum citra mentis fictionem in ipsis rebus reverà reperiatur, nec *Metaphoricè* saltem de iis enunciatur. *Impropriarum enim locutionum* (v.g. *prata rident* vel *non rident*) *Identitatem* vel *diversitatem* non pensitamus hic loci, prout in *Metaphorico* termini sensu accipiuntur. (β) *Reciprocatio* seu *Convertibilitas*, quâ debent affectiones converti posse cum *Subjecto eò, cujus* audiunt proprietates. Verissimum est, omne *Ens verum ac reale, quocunq; tandem respectu, idem esse vel diversum*: quicquid citra mentis fictionem, *idem* vel *diversum* est, simul *Ens verum* est, ut hæc affectio Entis, vera dicatur & convertibilis.

S. 2. Alterum, quòd sit affectio Entis disjuncta, satis exinde constat, quod unitæ formalis ratio affectionis, nostræ nequaquam conveniat. Nec enim simpliciter ac solitariè, seu absq; disjunctione Enti inest, nec in unito converti sensu cum Ente potest: sed in disjuncto demum latitudinem ejus adæquat. Omne quidem Ens aliquo modo idem est, at non simpliciter ac solitariè. Nam & aliquo modò diversum; ideoq; in abstractione, dicendum sub disjunctione est, cum

illatione *oppositionis*: omne Ens vel est idem vel diversum; inde *reciproce*: Quicquid est idem aut diversum, realiter Ens est, *realiter* dico i.e. *non fictè* Ens *rationis* enim cum dicitur idem vel diversum; v.g. *Purgatorium non est Cerberus, Cerberus est triceps &c. strictè* loquendo & *proprie* nec illius propositionis *disensus* diversitas talis est, nec hujus *consensus* identitas talis, qualis in *Ente*, cujus *affectionem* tractamus, *radicatur*; Sed tantum per *proportionem*, quomodo alioquin *Entia rationis*, quædam quasi *realium* Entium simiæ sunt, ac valet hic illud: *equivoca Entis denominatio non est realis Entis participatio*.

§.3. Quod sit *affectio immediata*, probatur, quia ex *unitate*, unitâ illâ Entis *affectione*, Identitas atq; Diversitas *originaliter* fluit. Unum *formaliter* est, quod *in se est indivisum*; & *consequenter*, divisum à quolibet alio. Jam sicut *identitas* fundatur in *indivisione* unitus, per quam & explicatur, veluti hominis & bestię identitas in esse animalis, in quo conceptu non sunt *divisa*: Sic quoq; *diversitas*, rerumq; *distinctio* in *divisione*, alius ab alio *radicatur*.

THESIS II.

Identitas nomen ambiguum est.

§.4. Accedendum jam ad *specialia*, propriaq; uniuscujusq; membri *ratio* videnda. Primum ergo *de Eodem*, ubi ante omnia notanda *ambiguitas*. Sumitur *Identitatis* vox aliquando *strictissime*, pro *Convenientia* duntaxat *intrinseca & essentiali*; quâ ratione *similia, equalia*, & quæcunq; tantum in conceptu *generico* aut *accidentali* conveniunt, non sunt *idem*. Sic abhorremus vulgariter dicere, *hominem & angelum, aërem & aquam, esse idem*. Aliquando quoq; sed rariùs, pro *convenientiâ extrinsecâ & accidentali*, quando quædam in accidente certò ac determinatò, & in intellectu primò incurrente, non distinguuntur; quomodo dicimus: *Judei ac Turce sunt idem; Christiani ac Turce non sunt idem*, scilicet *in puncto religionis*, quam in illa collatione primò intendimus. A nobis hoc loco *latius* sumitur, atq; *præcisè*, pro *omni convenientia*, seu *absolutâ, seu relativa, seu essentiali; seu non essentiali* & hoc sensu *eadem* dicuntur, quæ quoq; *equalia* aut *similia*, quomodo *Arist. l. 10. Metaph. c. 3.* similia esse *ἴαυτα* confirmat. Brevibus ut dicam: sicut identitas omnia pervagatur atq; transcendit *prædicamenta*, sic etiam datur
in re-

in rebus omnium classium convenientia respectu *re esse*: Sed quò remotior eadem est, eò infrequentior in sermonibus vulgatis esse solet, utiq; quando *distinctius* ac *specialius* philosophamur. Huc referri forte non inconvenienter posset, quòd identitas vel dicatur esse *realis*, vel *rationis*: quatenus nimirum *ratio effectivè*, pro fictione mentis, qua Ens vel identitas gignitur *absq; ipsius rei fundamento*, usurpatur; quale Ens vel qualis Identitas alioquin vocatur Ens, vel Identitas *rationis ratiocinantis*. Si v.g. fingerem *Vaccam & lapidem & aquam esse idem formaliter*; Identitas foret nudæ rationis ac fictionis: hoc est, *re ipsa non identitas*, sed potius *diversitas*. Agimus hic autem de *affectione quâdam realis Entis reali*: quæ fictionis aut puræ rationis igitur sunt, ex *universa reali Ontologia* sunt removenda. Mellioris tamen conditionis est, quæ *rationis ratiocinatæ* identitas dicitur. quæ, quòd *realis & ipsa sit*, justè accepto termino, nec *equivoca*, patefcet ex inferioribus.

THESIS III.

Identitas, Convenientia in aliquo est.

§. 5. Identitatis *formali rationi* annectere nolumus (ut quidam vulgo solent) hæc verba: *sive id* (aliquod, seu *Convenientiæ* tertium) *sit essentialè sive accidentalè*. Specialis enim determinatio *in abstractione*, extra *quidditativum* Identitatis conceptum est, siquidem hæc *generaliter & in statu præcisionis* supponatur. Angustior quoque descriptio foret, cum nec identitas omnis nitatur *tertiò relationis*; nec *inter essentialè & accidentalè* sit oppositio adæquata: quam puto causam fuisse, cur emendaret hæc verba B. Scharff. hunc in modum; *sive id sit essentialè, sive non*: *Tb. tr. p. 802*. Interferunt alij *materialem* seu *extremorum* quoq; conceptum, in numero *plurali* dicendo: *est Convenientia Entium vel rerum*. Sed sic angustior iterum descriptio est suo *definito*. Nam *id & absolutam* identitatem comprehendit, quandoquidem quoq; *RES* ipsi sibi conveniat, adeoq; *in unitate singulari* singularissimæ identitatis, non *relativæ*, sed *ut sic*, radix reperiatur. Sicut *Deus* in *veritate* ac *bonitate* sua congruit secum, non per *assimilationem* neq; per *commensurationem* aut *mutuam participationem*; sed per *essentialè ac simplicissimam identitatem* veram tamen & *realissimam*. Unde si objicere velis, *absolutam* identitatem non esse *realem*, sed *rationis*, adeoq; propter conceptus *omnium*, de datâ definitione

one participare non posse; fallaciam fieri dixerim ex equivocatione. Nec enim ista *rationis facta*, sed *concepta* est, ut loquuntur, cum habeat fundamentum realiter *in re*, non *in mentis fictione*; ipsiq; termini identitatis, ut *re ipsa* seu *materialiter* idem sunt, sic *idem esse* concipiuntur. Per consequens ad identitatem *realem*, quatenus eadem *facta* opponitur, omnino pertinet *absoluta*; sed hac post paullo prolixius explicabuntur. Quamobrem quoq; *Tertij* vocem (*est convenientia in aliquo tertio*) adjicere nolimus, ne in hac *primâ* ac *transcendentali* Philosophiâ, pro *generalissimâ* Entis affectione, *contractiorem determinatumq;* identitatis conceptum, quatenus scilicet *relativa* est, venditemus; Sed nec conceptum Identitatis *genericum* negamus, quando non expressè ponimus. Demonstratum enim in præcedentibus passim fuit, eam esse *veram & realem*, sed *mediatam & sub disjunctione* accipiendam *Entis affectionem*. Hinc facile repeti *ἀπὸ κοινῆς*, & *καθ' ὑπόνοιαν* subsumi *generalior* iste conceptus potest. Eandem ob causam præsupponitur etiam *materiale*, quia Identitas id habet commune cum ceteris omnibus affectionibus, *Entitatem* puta *precisè Formale*, per *Convenientiam in aliquo*, exprimitur; quò indicamus, ut antea monitum, non tantum loqui nos de *identitate rigorosè sic dictâ*, *Essentiali* aut *accidentali*, sed de *Convenientiâ quâvis*, vel *per respectum*, vel *per relationem*, sive *fundamentali*, sive *formali*.

THESIS IV.

Identitas vel absoluta vel relativa est.

§.6. Plurimi proximè dispescunt *Identitatem* in eam, quæ *REI* est, & quæ *RATIONIS*. *Rationem* intelligunt non *rationantem*; nam sic divisio *equivoca* foret, ac *ὀμωυμία* potius quàm vera *διαίρεσις*, satis præposterè proponeretur: sed *rationantem* & in ipsius *unitate rei* radicatam. Concedent itaq; dubio procul, tam *Rationis*, quam *Rei* identitatem *realem* esse. Mox alio nomine *rationis* *Identitatem* dicunt *absolutam*; & *identitatem Rei* vocant *relativam*. Quibus nos uti vocabulis malumus, idcirco, quòd pressius rem dicant; prioresq; illi termini, *Rationis* & *Rei*, tantam involvant ambiguitatem, ut *homonymicam* potius, quàm *Synonymicam*, eamq; *adequatam* divisionem importare videantur. Facile arbitraretur quis, *Rationis* identitatem non esse *realem*, sed *factam*: cum primis quod
identi-

Identitati Rei opponatur: cum tamen eò *in formali*, quò utraq; ibi
supponitur, utraq; etiam sit *realis*, ut in superioribus fuit ostensum.
Absoluta ergo, seu *rationis* (*ratiocinata*) *identitas*, est *convenientia*
ista, secundum quam res dicitur eadem sibi ipsi, sine ordine & re-
latione ad tertium aliquod. Radix ejus res per se una est, seu u-
num numero Ens: formale, non quatenus ad aliud quoddam refer-
tur; sed, quatenus in eo *identificantur*, non certè *Entia*, vel *plures res*
(sic enim vera distinctarum rerum *relatio*, vera *identitas relativa*
foret) sed tamen, ut loqui amant Scotistæ, *realitates* seu *plures mo-*
di, qui *materialiter & quoad fundamentum*, sicuti cum *radi-*
ce una eademq; essentia sunt, adeoq; sic idem ad seipsum, absq; *ter-*
tio relationis, absolutè refertur; sic & *in ratione nostra* idem verè &
realiter esse concipiuntur. *Exempla sunt in transcendentibus ac my-*
sticis. Etiam si enim *affectiones Entis realiter* (h. e. verè, non fictè) in-
ter se differant, cum *Ente* tamen, cujus affectiones audiunt, sunt *i-*
dem, res una, absolutè! Sic *Entis modi*, utut invicem sibi oppositi sint,
identificantur tamen *in objectivo Entis conceptu*, ac *materialiter* sunt
ipsum illud *Ens*, non per *Convenientiam extremorum in tertio*
quòdam propriè dictò, sed *in natura sua*, in ipso *Ente*, *absolutè*.
Sic quoq; *in mysticis*, tres *SS. Deitatis personæ*, utut *realiter inter se*
differant, in *Deitate* tamen *identificantur*, ut *una tantum & eadem*
singularis essentia divina sint, ac *essentialiter idem*, non per *convenien-*
tiam cum Deitate, tanquam rerum plurium cum aliare ad aliud *ter-*
tium constituendum: sed per *simplicissimam ipsius essentia identitatem*.
Sic *attributa divina cum Deitate conveniunt*, non velut cum aliare
aut in aliquò *tertio*: sed per *absolutam objectivi conceptus identitatem*.
Absoluta talis identitas, verissima tamen & realissima est, quæ *fun-*
damentum habet non *in fictione nostra*, sed *in ipsius rei indivisione*, ubi
tamen intellectus unum ut plura concipiens, idem refert ad sei-
plum. Ideoq; *rationis identitatem*, quanquam *in sensu sano* possimus
dicere, nolumus tamen, ob non-contemnendam & periculofam sa-
tis æquivocationem.

S. 7. *Relativa* verò seu *rei, aliis positiva dicta, identitas*, est *con-*
venientia ista, quam plura distincta habent inter se in aliquò tertio. *Ab-*
solutam identitatem unum quid habet, IN SE, absq; tertio; sed *Re-*
lativam plura INTER SE, in aliquò tertio. Combachius hanc ita,

B

quod

quod sit, secundum quam res dicatur eadem cum alia re, cum qua convenientiam habet. Hujus itaq; radices res plures, duo ad minimum Entia, sunt: *formale*, quatenus inter se conveniunt, non per identitatem absolutam; sed per *alicujus tertij*, ab extremis quocunq; modo distincti, *Unitatem*: quomodo Petrus & Paulus in tertio essentiali (*Humanitate*) & accidentali (*Apostolatu*) conveniunt. Hanc dividunt alii in *extrinsecam* & *intrinsecam*. Ad *intrinsecam* referunt exempla illa *transcendentalia* & *mystica*; quæ verò, cum *absolutam* spirant identitatem palam, ad *Relativam* certè non adeò quadrabunt.

THESIS V.

Relativa Identitas vel intrinseca vel extrinseca est.

§. 8. *Fundamentum divisionis est illius Tertij, quò inter sese conveniunt plura, respectus ac habitudo ad extrema, extremorumq; vicissim ad tertium, constitutiva vel non constitutiva. Nonnunquam enim concurrunt extrema in unitate Tertij constitutivè, & sic habitudo istarum ad hoc, rectè intrinseca dicitur, ob unitatem κατὰ συνδύασιν, v. g. 1. Si Tertium istud sit unum integrale, tum pertinent partes ad constitutionem totius, & hujus Tertii respectu, identitate intrinseca (Totali) gaudent. 2. Si tertium istud sit unum naturale: sic forma & materia corpus naturale, sic anima & corpus hominem constituunt, & hujus Tertij respectu identitate intrinseca (essentiali) gaudent. 3. Si tertium istud sit unum σύνθετον suppositale; sic ferrum & ignis hoc ignitum constituunt ferrum, Deus & homo personam Christi Salvatoris: Hujus itaq; Tertij respectu, prima illa extrema identitate intrinseca (suppositali) hæc posteriora identitate intrinseca (personali) reverà gaudēt. Qui tamē modi identitatis, utut intrinseci rectè dicantur, non nisi Paronymicas tamē dant prædicationes, juxta D. D. Calov. Scrip. Phil. p. 2. p. 159.*

§ 9. *Nonnunquam verò Tertium concurrat ad constitutionem extremorum, & sic habitudo illius ad hæc intrinseca dicitur per unitatem κατὰ μέθεξιν, eamq; vel prædicamentalem vel transcendentalem, vel infra prædicamentalem. κατὰ μέθεξιν Prædicamentalem 1. Si Tertium istud sit Genus vel generalissimum vel subalternans. Quomodo Ethica Politica & Oeconomica in conceptu Prudentia; Fortitudo & Liberalitas in conceptu virtutis, & habitus, & qualitatis conveniunt. Vocatur identitas (intrinseca essentialis) Generica. 2. Si tertium istud sit Species; quomodo mas & femina in conceptu hominis conveniunt.*

niunt, etiamsi sexualiter differant. Vocatur identitas (*intrinsicæ essentialis*) *Specifica*, quæq; *Differentialem* identitatem continet. 3. Si *Tertium* istud sit *unum idemq;* *Ens*, extremorum vice diversimodè repræsentatum; quomodo *Albis*, qui *Dresda*, qui *Witteberge* ac *Magdeburgi* fuit, idem est *Albis*: & *corpus*, quod circumferimus *hic* & quod accepturi olim in resurrectione sumus, idem numerò est *corpus*: vocatur identitas (*intrinsicæ, essentialis*) *numerica*. κατὰ μέθεξιν *Transcendentalem* ac *Defectivam*, quando *Tertium* illud est *instar generis* vel *speciei* aut *differentiæ*, ἀναλόγως, h.e. prædicatum *Synonymicum*, non *Porphyrianum*; sed vel *eminens*, vel *deficiens*, ἀναλόγως.

THESIS VI.

Extrinsicæ Identitas vel est *causalis*, vel *effectiva*, vel *subiectiva*, vel *Accidentalis*.

§.10. *Fundamentum* hujus vulgatissimæ divisionis ratio *Tertiæ* est, in quo extrema convenientia identificantur. Id enim quando extremorum *causa efficiens* vel *Finis* est, *Causalem*; quando *opus* vel *effectus*, *Effectivam*: quando *materia* in quâ, seu *subiectum*, *subiectivam*; quando *Accidens*, *accidentalem*; juxta alios etiam, quando *adjunctum*, *adjunctivam* parit identitatem. *Causalis* ergò *identitas* est, quando plura conveniunt *ratione causæ efficientis* aut *finis*. Nonnulli referunt huc identitatem *Formæ & Materiæ*: Sed si termini *strictè* sumantur, *intrinsicam* illi dant identitatem, quam supra habuimus. *Externa* causæ sunt *Efficiens & Finis*; quibus quæ conveniunt, *extrinsicis* quibusdam *principijs* conveniunt. Sic v.g. cum fratrum dicitur unus esse & idem *Pater*, creaturarum unus idemq; omnium *Creator*, officialium omnium unus idemq; *Auctor*, *Princeps*: & *Imperatorum* omnium una eademq; ac *immediata causa*, *DEUS*; *societatum simplicium* ac *compositarum* eadem *impulsiva*, *Natura* &c: ubiq; vox *Eadem*, *efficientis causæ* notat identitatem. Sic quando plures ad eundem migrare locum volunt, plures quando egrediuntur ad belligerandum, plures de obtruncando consilia rege effingunt, cum propter publicam tranquillitatem quidam penis, quidam præmiis afficiuntur &c. ubiq; & in *proportione agentium*, *identitas causæ finalis* occurrit. Similiter quando eodem læduntur gladiò plures, eodem potu intereunt plures, iisdem legibus reguntur

eur plures, eodem exercitu funduntur plures, iisdem libris ac sumti-
bus utuntur plures: ubiq; vox, *Eadem*, notat *efficientis instrumenta-*
lis identitatem.

§. 11. *Effectiva* identitas est, qua plura conveniunt ratione ope-
ris vel effectus, ut quando *eadem* Saulo, Davidi ac Israelitico populo
victoria tribuitur; *idem* Dysenteria morbus, & acrimonia bilis, ac
nimio ætatis calori & largiori in æstu potui, & comestorum cru-
dorum fructuum putredini adscribitur; *eadem* rebellionis culpa &
avaritiæ magistratum, & negligentia Principis & ocio ferociorum
datur: ubiq; vox *eadem*, identitatem *effectus* notat: Ubi observandum
venit obiter; ab *identitate effectus* ad *identitatem & equalitatem cau-*
sarum, N. V. C. Duo enim cum faciunt *idem*, non statim est *idem*. Ma-
jor influentia est causæ *principalis*, quàm *instrumentalis*; major *per se*,
quàm *per accidens* ac *præter intentionem* &c: major *instrumentalis*,
quàm *concomitantis*; ideoq; cum inæqualis influxus, inæqualis
quoq; denominatio, inæqualis quoq; ac *Geometrica*, in decernen-
dis penis vel præmiis, proportio.

§. 12. *Subjectiva* identitas est, quâ plura conveniunt in eodem
subjecto; estq; inter accidentia. Sic *idem* esse potest & vir bonus,
& civis bonus; *Idem* & bonus Politicus, & bonus Ethicus, & bonus
IC^tus, & bonus Orator, & bonus Consiliarius. Ibi vox *idem* sub-
jectivam notat identitatem, quæ cum identitate quidditativâ seu in-
trinsecâ & essentiali non confundenda. Fallunt proinde Politi-
corum nonnulli, qui ipsam quoq; civis boni & viri boni virtutem
esse eandem docent. Fallit & Neotericus *Hornius*, qui partem Poli-
ticæ *Juris prudentiam* statuit, *Proem. P. c. 5.* Ab identitate subjecti, ad
Identitatem abstracti N. V. C. h. e. ad *Excellentiam* Politici ejusdemq;
Pragmatici ac negotiosi quæ requiruntur; ad ipsam *Disciplina Philo-*
sophica nostræ *Essentiam* non pertinent.

§. 13. *Accidentalis* deniq; dicitur convenientia ea, quâ plura
conveniunt in eodem accidente, v. g. in eadem quantitate, tumq;
dicuntur *equalia*: aut in eadem qualitate, tumq; dicuntur *similia*.
Addunt nonnulli *Adjunctivam*, quæ sit convenientia Entium respe-
ctu adjuncti; qualis detur inter Christum ac maritum. Sed eam
rectius dixeris *comparativam*, *impropriam*, *Allegoricam*, quæ non
est hujus loci. Missis hæc, pergimus breviter ad alterum Affe-
ctionis nostræ membrum, quod est *Diversitas*. THE.

THESIS VII.

Diversitas disconvenientia in aliquo est.

§.14. Rectè *Arist.* l. 5. *Metaph.* c. 9. ait: *Diversum & Idem oppositè dicuntur.* Hic enim diversa dicuntur omnia, quæ non sunt idem; & illo sensu seu respectu, quo idem non sunt, diversa putantur. Homonymiam Diversitatis evolvere nolumus, ne ultra jus fasq; prior hæc dissertatio crescat. Id monemus unicum, quod in hac transcendentali disciplinâ vox, *Diversitas*, non sumatur *strictè*, pro solâ diversitate Essentiali, quasi *inequalitas*, aut *dissemblia*, aut *Paronymicè* alia disparia, diversa non sint: neq; pro solâ distinctionis diversitate, quæ citra pugnam sit; quasi *opposita*, quæ invicem pugnent, diversa non sint: sed *generaliter ac indeterminatè*, pro quavis varietate, quæ etiam aliquid à seipso differre dicitur; quæ verba sunt *Dn. D. Calovij* l. c. p. 540. ac *B. Scharff.* l. c. p. 809. *Strictior ac inadequata* nonnullorum descriptio est, cum dicunt: Diversitatem esse disconvenientiam rerum in aliquo tertio. Quin potius, qua latitudine vox *Identitatis* est explicata hæctenus, in eadem amplitudine vox *diversitatis* quoq; est supponenda ac describenda. Sic utraq; deniq; sibi conjuncta, genuinam & adæquatam Entis affectionem dabit. Nos ita, quod sit *Disconvenientia in aliquo: sive quod idem est, quòd sit negatio convenientiæ*, *Dn. D. Calov.* l. c. p. 539.

THESIS IIX.

Totuplex Diversitas, quotuplex Identitas.

§.15. Hæc nostra mens: quotupliciter ante identitas divisa fuit, totupliciter quoq; Diversitas h. l. dividi debet. Modos ejusdem communissimos saltem recensebimus. *Intrinsicè* diversitas vel est inter ea, quæ Genere discrepant; dicitur *generica*: vel inter ea, quæ *differentias* diversas habent; dicitur *Differentialis*: vel inter ea, quæ Genere & Differentiâ, & sic *totâ specie* distant, dicitur *Specificæ*. Vel deniq; inter ea, quæ solo *numero*, seu differentiis individualibus distant: vocatur *Numerica*. Sic v. g. quæri potest: *Utrum Politicæ rectè & propriè Sapientiæ nomen accipere possit?* Affirmat *Hornius* l. c. c. 2. §. 4. Atqui natura Sapientiæ à natura Politicæ *specie*, h. e. genere & differentia diversa est: illa enim est *Habitus Sapientis*, ex scientia & intelligentia constans: Hæc verò *æquus*, id quod utrumq; *formaliter* sumitur ex fine, *radicaliter* ex objecto: quomodo ergo

ergo identitas formalis inter hos habitus esse potest? Sic quoq; Generica diversitas est inter jus naturæ & contractus, ratione obligationis. Ita diversitas Specifica est inter Legem & Consuetudinem: Lex obligat omnes Cives, in quorum usum, penam vel præmium lata est: At Consuetudo saltem pro lege observatur. Sic quoq; numerica diversitas esse dicitur inter Actorem & Reum in Judicio &c. Sic forma, quam generans genito communicat, specie quidem eadem, sed numero tamen diversa dicitur à forma generantis &c.

§.16. *Extrinsicæ* Diversitas (1) vel est *effectiva* ratione effectorum diversorum: vel (2) *causalis*, inter ea, quorum diversa datur efficiens, principalis vel instrumentalis, vel diversus finis, vel diversa materia ex quâ vel in quâ, vel circa quam, vel diversa forma, substantialis vel accidentalis &c. Sic inter Ethicam & Politicam datur diversitas ratione (1.) *Materiae*, circa quam seu objecti: Hæc enim circa civilia, illa circa moralia. (2.) *Materiae in quâ*, sive subjecti. Hæc operatur in civitatem, illa in hominem. (3.) *Finis proximi ac interni*. Hæc Remp. producit, illa S. B. morale. (4.) *efficientis instrumentalis*. Hæc majestate, obsequio, legibus, officialibus, aliisque consiliis appetit finem; illa virtutibus, ideoq; non absurdè pro distinctis haberi possent. Sic inter consuetudinem & præscriptionem diversitas est (1.) *Subjectiva*: hæc privati ac singulorum, illa totius universitatis ac populi. (2.) *Objectiva*, hæc non nisi in bonis alicujus, sed illa exactibus, ubi non intenditur alterius dominium (3) *formalis*: hæc præter consentum præscribentis requirit patientiam vel negligentiam adversarii: illa adversarii jura non recipit (4) *effectiva*: hæc præscribenti tantum prodest, illa populo etiam aliquando nocet (5) *Accidentalibus*; illa de similibus ad similia extenditur; hæc residet præcise in re præscripta &c. Sic decollatio plebei ac viri nobilis, pena diversissima est, ratione (1) *formæ*; majoris enim doloris inflictio est in nobili, civiliter loquendò, quàm in rustico (2) *ratione efficientis* seu delicti, concretivè; Etenim in benè de Patriâ meritò & adhuc merente virò excusatur quodammodò, non in inutili pondere terre. Adeoq; tum concretivè, gravius delicto supplicium id est. (3) *ratione materiae*; Nam simul tota familia Nobilis præter suam culpam gravi dedecore contristatur: non ita rustici servile caput

put (4) *ratione finis & effectus*. Nobilis hac puniendus pænâ, duplici morte afficitur; *Phyficâ*, ratione vitæ; & *Politica*, ratione dignitatis, civitatis, ac honoris; non ita rusticus. Gravissimè itaq; errant, qui talem pænarum inflictionem in proportione *Arithmeticâ* ponunt; aut, si præcisò rustici capite, deportetur nobilis, proportionem pænæ adhuc *Arithmeticam* esse negantes, clamitant: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas*; remignoranter satis confundunt cum modò; abstractum cum concretò; sed hac de re alibi plura.

§. 17. *Diversitas* alia porrò est *ordinata* sive cum ordine; alia *inordinata*, sive sine ordine. Illa datur e.g. inter Imperatorem & Principem, Consulem & Senatorem, Ictum & Advocatum sive Procuratorem, & inter quæcunq; prioritas & posterioritas intercedit. Hæc verò datur v.g. inter duos procuratores, cives & rusticos, quorum unus altero prior vel posterior non esse dicitur. Deniq; ultimo *Diversitas* vel est *sine pugna*, qualis est inter jus divinum, scriptum & inscriptum, naturale ac gentium: Vel *cum pugna*, quæ *diversitas repugnantia* dicitur, vel *physicè*, ut inter calorem & frigus: vel *Logicè*, ut inter verum & falsum; aliquando inter jus divinum & civile. Quando est pugna, vocatur *oppositio*, ac extrema dicuntur *Opposita*; quando verò est *sine pugna*, appellatur *distinctio*; quâ de acturi potissimum sumus in subsequentibus.

Politisimo Literatissimoq;

DN. JOHANNI CRAMERO,

publicè disputanti.

CRAMERE, Musis chare, chare civibus,

Deoq; chare, sed mihi charissimus,

Qui docta mentis eruditæ pignora,

Hæc tanta sistis præripisq; in publicum,

Test-

Te sistis ac probas Deoq; ac patriæ,
Doctâq; concione, tum parentibus
Cum maximè dignum, & quod est rei caput,
Leucoride dignum, matre digna hõc filio.

*Convictori charissimo
suo fecit*

Johannes Ericus Ostermannus
P.P.

Juridium decet ac commendat mentis acumen:
Quod quia cum primis *prima Sophia* polit,
Spem facis egregiam Patriæ, *CRAMERE; sophias*
Præmittens *Themidi* dogmata summa tuæ.
Macte, precor, virtute: dabunt *Themis* atq; *sophia*
Consultum Patriæ Te celebremq; Virum.


*Dn. Affini ac Contubernali
suo dilectissimo gratulab. adposuit*

PRÆSES.

05 A 1423

ULB Halle 3
003 781 755





3e

I. N. 7.
DE
E O D E M
AC
DIVERSO,

Disputatio Prima,
Quam
PRÆSIDE
VIRO CL.

M. JACOBO Wächter
Ser. Elect. Sax. Alumn.

Disputabit
A. & R.
JOHANNES CRAMERUS,
Magdeburg,
Ad D. August.
Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ
Typis JOH. BORCKARDI, A.M. DC. LXIV.

